DE BRONCHORRHOEA

TENTAMEN INAUGURALE

QUOD

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
PERILLUSTR. FACULTAT. MEDIC. DIRECTORE
SPECTAB. D. DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D. J. B. FANTONETTI

CLINIC. MED. ET THERAP. SPEC. PROF. SUPPL.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT

IN C. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI

Mense Decemb. an. MDCCCXXXI

LAUREAM MEDICAM ASSECUTURUS

PASCHALIS MARTINI

CHIRURGIAE DOCTOR

ATQUE OBSTETRICÆ ARTIS MAGISTER.

MEDIOLANENSIS.

TICINI REGII

Typis Fusi et Socii.

			Errata	*Corrige*
Pag.	9	lin. 18	pulmonibus	in pulmonibus
	11	24	irritationi idest hyperdiacrisia	irritatione idest hyperdiacrisi
	14	23	strenuiorcs	strenuiora
	15	12	regulae	regulas

DE BRONCHORRHOEA.

Muci fluxus morbosus a bronchiorum superficie speciatim prodiens *bronchorrhoeae* nomine venit, a graecis verbis *βρόγχος*, *bronchia* et *ρεω*, *fluo*.

Antiqui aliquo modo de hoc morbo fanant; apudque eos catharrus pituitosus dicitur. Diebus nostris veram hujusce adfectionis naturam palam fecerunt praeprimis La-Roche (1), Laennec (2), nec non Andral (3). Laennec autem *phlegmorrhagiam* eam nuncupavit.

---

(1) Essai sur le catarrhe pulmonaire aigu, in 8.° Paris 1802.

(2) Traité de l' auscultation mediate et des maladies des poumons et du coeur, etc. T. I. pag. 161. edit. 3. parisien.

(3) Andral G. Clinique medicale, ou choix d' observat. etc. 2. edit. Paris 1829.

Bronchorrhoea perraro *idiopathica* seu *primitiva* est, pene semper bronchitidem chronicam, cujus characteres inflammatorii evanuerunt, subsequitur; phlogoseos praesentis enim caussa bronchiorum membrana mucosa copiosiorem muci quantitatem adhuc secernit. Hinc ceu secretionis statutam habitudinem eandem habere possumus. Persaepe in senibus, aut in hominibus jam maturis occurrit. Altera autem extat distinctio, in *acutam* nempe et in *chronicam*.

Bronchorrhoea *acuta* de repente consueto adgreditur, et illico gravioribus symptomatibus stipatur; *chronica* accedit lente ac gradatim.

Bronchorrhoea idiopathica acuta gravissimum morbum facit, et sicuti facilime aegrum suffocat *catharri suffocantis* nomen ac obtinuit. Consueto statim maxima cum oppressione tentat, et ubi quoque initium ducat a tussi, post nonnullas horas aut momenta propriam gravem induit schemam. Maxima dyspnoea aegrotus laborat; distincte pectus suum humore inundari, replerique per se sentit, cujus fluxus et copia ad illum evehitur gradum, ut tussis frequentiores explosiones et screatus perquam uberrimos haud sufficere ad illum evacuandum autumet. Suffocatio eum angit; anxietas ingens est;

visus caligo, syrigmus, facies livida, circulationis alterationes, extremitatum frigus periculum imminuere reapse declarant. Ex hoc forsan haud in errore versaretur, qui nonnullorum auctorum catharrum suffocantem, aut sic dictum *croup mucosum* nisi acutam esse bronchorrhoeam haberet. Persaepe perquam copioso humore emisso, phaenomena morbosa silent, et sanitas firma est; interdum autem post nonnullos menses morbosa secretio et mala concomitantia sua in scenam adhuc veniunt, immo non desiderantur exempla de certis temporibus reditu. La Roche hinc refert, militem vidisse bronchorrhoeae regulariter omni die accessione tentari. Quatuor unciarum sanguinis e vena emissio, illico fortiorem abripiebat dyspnoeam, et copiosiorem muci albissimi interdum sanguine tincti secretionem ac expuitionem sistebat. Mucus secretus colore caret, pelluciditate gaudet, viscidusque ac in superficie spumosus est, et ablata spuma ovi albumen aqua dilutum refert.

Propriis anatomicis characteribus bronchorrhoea insignitur. Membrana mucosa bronchiorum ac pulmonum (quoniam et ista interdum eadem adfectione obnoxia est), adparentem exhibet turgorem, vix molli-

tie capta, et vix huc illuc rubra videtur. Qua de re Laennec hoc respectu hujusce membranae adfectionem inter limites congestiones serosas ex congestionibus sanguineis diducentes sistere, imo illis potius quam istis pertinere, censet. Ipse auctor statuit porro, in bronchorrhoea signa sequentia sthetoscopio hauriri: rumorem respiratorium sub tussi majorem, quam in ejusdem intercapedinibus, sed raro nonnullis in thoracis punctis suspensum esse; rumorem istum sicuti ac tussim rhonco sonoro, gravi, aut sibilanti interdum avium cantum, interdum turturillae ploratum, aemulante, aut lyrae nerviarum plectro leviter pulsarum sonitum accedente, comitari. Persaepe autem rhoncus mucosus, praecedenti sejungi persentitur, sed rite ac *bullas* ab humore minus muci sputuum concoctorum spisso efformari recognoscitur. Quae rhonci variae species persaepe, quamquam valdopere leniores, etiam in accessionum intervallis extant. Alias nisi sibilum cupum levissimumque, ceuque ad bronchiorum spatium omnem extensum, auditur. Ubi porro adfectio antiqua sit, et bronchia aliquo modo ampliavit, rumor respiratorius respirationis bronchialis characteres induit. Ex plessimetro autem nil deducere

possumus, quippe thoracis percussio normalem protendit sonitum.

Bronchorrhoea *acuta* nonnullis in casibus apud medicos tanquam criseos motus in praetium est, hinc legimus in La Roche » La bronchorrhée aigue devient quelquefois le moyen spontanée de guerison de certaines maladies, et en particulier des épanchemens sereux (1) ». Andral reapse, hydrothoraces per quam rapide solvi repentino ac copioso profluvio bronchiali apparito, observavit. Sed notetur oportet, istas criticas bronchorrhoeas pene semper transitorias, et perraro periculosas esse, ac diarrhoeae serosae, vomitui, sudorique copioso criticis hydropes internos ac externos, nec non alios morbos brevi dissipantibus aequiparandas.

Sat diverse bronchorrhoea *chronica* manifestatur. Ex nonnullis bronchitibus muci habitualis secretio et ejectio remanet. Progressu temporis profluvium gradatim consistentiam ac opacitatem suam amittit, schemasque superius relatas exhibet. Tunc intermittenti ac regulari modo screatus se constituit, et persaepe in nycthemero accessiones binae succedunt, vix somno aeger ex-

---

(1) L. c.

pergiscitur una, vespere altera; interdumque post omne edulium reproducuntur. Materiei rejectae quantitatem omni in accessione duarum aut trium librarum pondus accedere, Laennec testatur. Accessiones autem non longo perdurant tempore, haud horae unius termen pertranseunt; semper vero una cum gravi dyspnoea currunt, dum in intervallibus optimam vigere salutem nos autumaremus. Aegri nihilosecius temporis progressu colorem, pinguedinemque amittunt; strigosi adhuc per aliquod tempus quibusdam incumbere possunt muneribus, ast majori accedente aetate tussis insultationes frequentiores proximiores longioresque fiunt, dyspnoea continua evadit, et denique screatus copia vel eos suffocat, vel tabe necat. Hucque hoc respectu Laennec observationes quasdam haud praeterire possumus: „ C' est une chose fort remarquable que l' énorme deperdition journalière, qui peut avoir lieu par de flux pituiteux et le nombre d' années, qu' ils peuvent durer sans que le malade succombe. M. Alard a réuni plusieurs faits interessans de ce genre. Je connais moimeme a Paris deux vieillards, qui ont joué l'un et l'autre un grand rôle sur la scène politique, et qui sont sujets à des flux abondans de cette espe-

ce. L' un d' eux plus que septuagénaire expectore, depuis dis a douze ans, tous le jours, dans deux acces phlegmorrhagiques, environ quatre livres d'un liquide incolore, filant et spumeux. L' autre rend tous les matins, par des vomissemens faciles, et qui se repetent à de courts intervalles pendant quelques heures, de trois a six livres d' un liquide tout-à-fait semblable à du blanc d'oeuf mélé à un tiers d' eau ; quoique âgé de plus de soixante ans, il se porte assez bien, et peut encore se promener à pied pendant plusieurs heures (1) ». Ast relate ad bronchorrhoeam idiopathicam chronicam observatio necessaria est, eandem nempe non semper uti a Laennec descriptam in propatulum venire. Persaepe enim maximam attingit evolutionem si tubercula miliaria pulmonibus constituta sint, illoque in statu permaneant. Idcirco Bayle pectoris profluvium hoc copiosum, et habitualem utpote signum phthiseos pulmonaris tubercularis pathognomonicum habet (2). Hocce vero in casu tussis insultationes minus regulares occurrunt, et ex altera parte nos ab illis bronchorrhoeae propriis ex signis pulmo-

(1) L. c. t. 1. p. 157.

(2) Recherches sur la Phthisie pulmon. p. 27.

naria tubercula indicantibus distinguere possumus.

Diagnosis.

Bronchorrhoea aliquam habet affinitatem cum bronchite chronica, nec non cum phthisi pulmonari, a quibus in eo differt, quod humoris e pectore ejectio per quam copiosa sit, atque ad libras in nycthemero sicuti superius adnotavimus adscendit. Ejusdemque screatus color, fluiditas, transparentia, et spuma, deficientibus sputis spissis, uti in catharro mucoso contingunt, aperte de pulmonis speciali profluvio loquuntur. Notabilis sistit dyspnoea, quae aliquo modo perfecto thoracis sonitui dissidet. Tussis potius, habita ratione ad screatus ubertatem; secundaria est, et a plenitudinis in pectore sensu ob humorem secretum concitata. Inposterum cutis calor minime adauctus est; pulsus vix aut ne vix quidem frequentes sistunt; sudores nocturni, et phthiseos signa alia deficiunt. Si aeger denique marcescit, in integrum hoc ingenti profluvio pituitoso adscribendum, quatenus alia morbosa phaenomena exstantia non ita potes ad collapsum inducendum. Et si Nauche credendum, bronchiorum mucus

ex simplici secretoria irritatione scatens acidi notas semper ederet; alkalinus vero esset ubi a membrana mucosa phlogosi detenta proficisceretur.

Ætiologia.

Bronchorrhoea acuta idiopathica ipsas agnoscit bronchitidis caussas occasionales. Quidquid directe, aut indirecte in bronchiorum membranam mucosam agit, ipsam ad vividiores actiones incitando, profluvium muci ab eadem secreti inducere potest. Hinc recenseantur expedit aër frigidus, sicuti ac aër perquam calidus, aut pulvere irritanti scatens, vapores chlori, ammonii, gas nitrosi, acidi acetici, nec non corporum aeterogenorum in bronchiis praesentia. Vocis quoque connatus, cantus, declamatio, sicuti et nonnullae cutaneae eruptiones, uti scarlatina, morbilli, rubeola haud obliviscendae. Bronchorrhoeae *chronicae* ac *sympathicae* porro a praecedentibus inflammationibus viarum aerearum, a partium ipsarum laesionibus organicis, a vitiis tubercularibus originem trahunt.

Phaenomena morbosa quae extant in bronchorrhoea rite si perpendantur, in secretoria irritationi idest hyperdiacrisia membranae mu-

cosae bronchiorum speciatim sistere rationi penitus consonum conspicitur. Signa enim phlogoseos propria in integrum desiderantur. Muci secretio valdopere adaucta, necessario majorem in membranae mucosae functione activitatem postulat, atque activitas a conditione incitanti sustineatur fas est. Nisi ex irritatione igitur profluvium illum repetendum. Antiqui de pituitoso pectoris catharro membranae mucosae debilitatem ac atoniam criminabant. Sed conceptu haud possibile, textum organicum, cujus secretio est adaucta, vitalitate deficere. Caussae perpetrantes, phaenomena morbosa apparentia manifeste hyperdiacrisin propalant. Extanti praedispositioni occasionales caussae superius recensitae ceu stimulum mechanicum, physicum, chemicum directe aut indirecte consensuum ope in bronchiorum membranam mucosam peragentes ipsam ad vividiores reactiones movent, et sic functionis suae productio adaugetur. Ita ex majori sanguinis phlogoseos caussa affluxu, aut mutationibus eventis, membrana ipsa mucosa majori oportet incumbat in muneribus suis activitate, quae progressu temporis ac in habitudinem pertransire quit. Hisce suffulti rationibus in bronchorrhoeae nosogeniam et causam proximam uberius disserere haud credimus.

Therapia.

Bronchorrhoea idiopathica, dicit Laennec (1), catharrorum omnium pertinacissimus est vix in habitudinis potestate polleat. Confestim e contra interdum dissipatur acuta. Vomitoria in hac potissimum convenientia praxis declarat; ipsorum enim ope materiei secretae rejectioni facilitatem accersetur, et ita accessionum spatium imminuitur. Promptius forsan sanguinis missio perhibet effectus; ast opportuna non omnibus est, siquidem plethoricis temperamentis, et juvenibus confert, senibus debilibusque minime convenit. Sinapisma cruribus pedibusque applicita, bonum faciunt. Omnia haec vero auxilia morbi redditum haud praeveniunt; ad quod, sicuti facilime bronchorroea iterum apparet, animum intendatur fas est. Aeger indusiis laneis directe cuti superpositis a frigore se praecaveat; vaporum omnium irritantium inspirationem vitet. Sobrietate in cibis utenda, nec acria ac stimulantia insumenda; parce vino, cofeae decoctioni indulgendum. Cutaneae porro perspirationi maxime prospiciendum. Si nimium adaucta fuerit, temperanda est quiete; segnem

(1) L. c. pag. 158.

vero tepidum balneum et frictiones apte sollicitant. Subitae atmosphaericae temperiei mutationes sedulo declinandae. Quamobrem non subito ex cubiculo calidiori in frigidiorem aerem prodire decuerit, aut saltem aptis indumentis corpus a frigore custodiendum. Fonticulum ad brachium commendant quamplurimi. Si praecautionibus istis invite morbus adhuc in scenam venit, accessiones suae gradatim leniores fiunt.

Alia praesidia ex pharmacologia desumuntur quae sunt ac illa contra bronchorrhoeam chronicam praestantia; et de quibus inferius.

Bronchorrhoea chronica illico ex initiis medelam exposcit, nam si ab aliquo jam perdurat tempore, omnia medicamina ludet. Vix igitur in propatulum venit, ad eam debellandam omnia insumentur praesidia, patentioribus indicationibus innixa. Phlogoseos remansiones si extent, antiphlogisticis compescendae; venaesectiones locales hoc faciunt, cumque ipsis acidum hydrocyanicum, extractum hyosciami strenuiores pharmaca, inque istis postremis insistendum, ubi morbus ac longum jactitet tempus. Gallici magni faciunt de vomitoriis repetitis, sed sthomacum denique protracto usu laedunt. Picis vapores et etiam suis non carent laudatoribus. Non deficiunt ac qui in

praetium habent cinchonae aut simarubae extractum.

Acetas plumbi, pilulae saponaceae, opium quoque comendantur. Pulverem radicis belladonnae ceu indubium remedium jam nonnulli medici propalarunt. Potiones pectorales dictae apud quosdam praecellunt. Temporibus nostris aconiti extractum, sicuti ac morphinae sales usurpatos conspicimus. Revellentia perquam utilia videntur. Vesicatoria suppurantia, fonticula, frictiones ex tartari stibiati unguento quamplurimum conferunt. Sed certiores regulae in omnium istorum praesidiorum praescriptione et usu in medium ferre haud concessum; siquidem in uno hoc juvat, in alio aliud. Idcirco ratio habeatur expedit ad gradum morbi, ad aeris costitutionem, dominantem, ad aegri temperamentum et habitum, ad speciales idiosyncrasias, denique ad juvantia et laedentia.

Haec sunt quae hac in dissertatione, ut meo non deessem officio, conscripta, brevi in specialem, potiusque neglectam viarum aerearum passionem referre censui. Plus fecissem si vires meae ad majus sustinendum pondus pares fuissent, et si vix nunc Hygeae templum non ingrederer. Lector benevole, da igitur quaeso veniam mihi.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Bronchorrhoea a conditione irritativa originem semper ducit.

II.

In substantiae cerebralis inflammatione deliramentum haud conceditur.

III.

Hypochondriasis caussa proxima in enkephalo est reponenda.

IV.

Phaenomena morbosa omnia ex texturae organicae alteratione proficisci, logica suadet.

V.

Remedia non semper in vivente organismo eosdem exserunt effectus.

VI.

Digitalis et cicutae extracta mercurii in gingivas et glandulas salivales irritativam actionem infringunt, si eidem commisceantur.

DE CRISI
ET DIEBUS CRITICIS
TENTAMEN INAUGURALE

QUOD

ANNUENTIBUS MAGNIFICO DOMINO RECTORE
PERILLUSTR. FACULTAT. MEDIC. DIRECTORE
SPECTAB. D. DECANO
AC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE
D.RE JOSEPHO MORETTI
OECONOM. RURAL. PROF. P. ET BOTANIC. SUPPL.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT
IN C. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI
Mense Decemb. an. MDCCCXXXI
LAUREAM MEDICAM ASSECUTURUS

PETRUS ZANCHI
CREMENSIS.

TICINI REGII
Typis Fusi et Socii.

De Crisi et diebus criticis.

Notum est, medicos inter se valdopere in crisibus et diebus criticis dissentire; siquidem nonnulli eos defendunt, et alii obtrectant. Quin immo χρισεος vocabulum πολησιχον est, et varie ab auctoribus medicis acceptum fuit. Alii enim saepissime pro ipsa noxiorum in corpore excretione, ut Hippocrates primus, qui de crisibus et diebus criticis eorumque effectu in febribus notiones prodidit, sumunt, qui corrupti ossis excretionem *crisin* vocat (1). Alii ut Galenus (2), *crisin* pro secretione humorum noxiorum facta in febri accipiunt; Hesychio enim et Suida notante auctore Langio (3) το χρὶνειν sequestrare et veluti per cribrum aliquíd excernere denotat. Secundum Galenum autem (4) est vox haec χρισις

(1) Lib. de arte.

(2) Comment. in aph. 13 sect. XI.

(3) Lib. 1 Epist. 37.

(4) Lib. 3 de cris. c. 2.

judicium ἀπὸ τοῦ κρίνεσθαι desumpta a foro judiciali, quia inter spem vitae metumque mortis ancipites tunc aegri trepidant, veluti rei coram judice; incerti plane utrum crimine absolvendi sint an morte damnandi. « Quam certum, scribit Castelli (1), vero et expeditum est vocabulum hoc frequentissime usurpatum in medicina non denotare judicium forense vel judicationem; tam intricatum, multisque difficultatibus adhuc implicatum est, quid Hipp., Galen. et alii veteres recentioresque medici per crisin intellexerint, aut potius, quaenam sit hujus vocabuli genuina significatio. Interdum enim crisis dicitur subita morbi in melius pejusve ad vitam, aut mortem mutatio; interdum ea, quae antecedit judicium, humorum agitatio: interdum integra totius morbi solutio: interdum illa tantum morbi solutio, quae ad bonum fit, nomine *criseos* venit. Quae varietas sententiarum oborta esse videtur a neglecta consideratione comparationis inter *judicium* forense, et *judicium* medicum; quae si probe attendatur, res mihi videtur expeditu facilior, quaenam significatio adaequata sit dicenda. Nimirum quemadmodum ad judicium forense ad minimum tria necessario requiruntur: *judex*, *reus*, et *testimonia*; ita quoque in crisi medica res se se habere debet. Reo respondere aegrum nullum est dubium. Testibus comparari posse attributa varia caussarum et subjecti probe examinata et considerata, hoc etiam nemo facile inficias ibit. Quaeritur saltem

(1) Lexic. med. art. Crisis.

de judice medico quis constitui debeat ac possit. Sane aeger vel morbus non potest simul judicis et rei partes sustinere. Ergò vel natura, i. e. vigor flammae et temperamenti vitalis adhuc in aegro superstes, vel medicus judicis vices subire debent. Quia vero medici opera saltem ministerialis est respectu naturae, quae dicitur ab Hippocrate morborum medicatrix, igitur satis est, naturae judicis medici officium attribuisse. Quibus ita positis facile quilibet rem hanc antea intricatam penitius considerans, neque quamvis mutationem ad vitam, vel mortem, in melius vel deterius, recte dici *crisin*, quia mutatio quae fit in deterius non fit virtute aut vigore naturae, sed potius vi morbi, et ita deficit judex competens, quo deficiente quis vellet dicere crisin? neque humorum agitatio antecedens crisis appellanda, quia adhuc sub judice his haeret, ut illa agitatio a viribus vitalibus, an vero a vehementia caussae morbificae oborta sit: quemadmodum nec in foro inquisitio et ventilatio actionum proprie dicitur *judicium* aut sententia, sed potius quando actio deciditur per judicem. Relinquitur ergo, *crisin* saltem dici adaequate, quando beneficio virium vitalium h. e. naturae et adhuc sufficientis vigoris humorum et spirituum caussae morbificae fit remotio, et aegri a morbo liberatio; id quod Galenus ipse fateri coactus est (1), quod ea quae repente fit, per excellentiam χρισις dicatur, et a natura, ea, quae praeter naturam sunt, superante exquisito perficitur.

(1) Lib. 3 de cris. c. 1.

Concidit ergo, stante hac sententia, distinctio inter crisin *bonam* et *malam*, cum mala nulla detur. Siquidem judice favente, h. e. naturae rubore sufficiente in malum non potest fieri mutatio. Implicaret enim contradictionem manifestam. Distinctio vero in crisin *perfectam* et *imperfectam* suo stat talo, quarum illa cum manifesta materiae peccantis evacuatione, haec cum remotione ad alium locum ignobiliorem conjuncta est. Quod si tamen aliis placuerit retinere illas tricas et ambiguitates per nos illis liceat «. Sed hoc Castelli cogitatum, quanquam Galeno innixum, qui docet *χρὶσεως* vocem e foro ad medicinae scholas translatam esse, non convenit cum sensu quo Hippocrates fuerit usus. Praeclara enim ejusdem monumenta testantur criseos vocabulum ab ipso communiter fuisse acceptum de judicio nimirum, quod medicus format et formare debet ex morbi circumstantiis et subjecti natura, de morbi eventu sive fausto sive infausto, unde crisis bona vel mala, fida vel infida exsurgit. Et reapse in operibus suis legimus: *judicare in morbis est, cum morbi augescunt aut minuuntur aut in alium morbum transeunt aut desinunt* (1). Deinde familiarissime ipse Auctor hac voce denotat morbi solutionem Κρὶσις ε᾽ ςὶν ἆπόλυσις νȣσȣ, crisis nempe est morbi exsolutio. Passim quoque in scriptis Hippocratis hae formulae lectori occurrunt: — hic morbus vel hic aeger die septimo, vel decimo, vel decimoquarto judicatus est, idest morbus solutus

(1) Lib. de adfect. 38.

et aeger convaluit. Et reapse illico in epidem. libro, aeg. tert. invenitur: *noctu sudore oborto ad decimum septimum diem judicatus est*: in aegro quinto: *octogesimo judicatione prorsus est absoluta et febre liberata.* In aegro sexto τελείος ἐκρίθη, perfecta judicatio successit: in aegro decimo: *a febre judicatione est liberata*, ἄπυρος ἐκρίθη. — Sed animadvertatur oportet, proprie χρίσεος vocem non accipi de lentis illis, et quae paulatim fiunt morborum mutationibus, sed de subitis, per quas aegri vel subito integram sanitatem recuperant, vel subito ad meliorem statum traducuntur, vel subito ad mortem properant, vel subito in deteriorem statum conjiciuntur. Chronicis adfectionibus autem, Sennerto observante, magis λύσις competit. Ex quo a Galeno χρίσις definitur (1): *subita ac repentina in morbo mutatio ad salutem vel mortem.* Hance autem veteres fieri non posse dicebant, nisi humores vitiosi qui naturam gravant moveantur et agitentur; quod porro sine insigni perturbatione corporis, et vehementibus symptomatibus accidere nequit; quorum catalogum quasi recenset Galenus his verbis (2). « *In crisibus* « non mediocris praecedit in aegri corpore pertur- « batio. Hic siquidem frequentem spiritum subito « difficilius trahit: vel delirat, vel caliginem, vel « splendores ob oculos versari putat; vel lachrymas « fundit; vel oculos rubentes habet, vel tempora

(1) 2, aph. 13.

(2) De dieb. decret. c. 1.

« graviora, vel in cervice dolores percipit: nonnun-
« quam vel capite dolet: vel nigra quaedam seu
« obscura oculis offundi queritur; vel oris ventriculi
« morsu laborat; vel inferius labrum quasi tremulum
« ac intro contractum habet vel rigori vehementi
« connetitur. Quin etiam plerisque praecordia attra-
« huntur; iidem inquieti sunt, exsiliunt, frigida
« expetunt, et uri se magis ac antea dicunt. Nonnul-
« lis accessio ipsorum citius quoque incipit, et lon-
« gior vehementiorque evadit. Ad haec somnus gravis
« aut aliud quoddam symptoma occupat «. Unde merito observat Sennertius, nonnunquam crisis non solum per ipsa mutatione morborum, sed et pro perturbatione illa, quae mutationem praecedit accipitur. Pateret porro ex his, crises non fieri nisi in iis morbis, qui ex humorum vitio ortum habent, et quidem acutis, quorum scilicet, veterum ut utar verbis, motus sunt vehementiores, et celeriores, et in quibus parvo tempore magnae mutationes fiunt. Hicque addit Sennertus: Et cum ειδικῶς, atque in specie, et peculiariter, non solum morbi acuti dicantur, qui ut Galenus docet (1), celeritati statim magnitudinem conjunctam habent, et oriuntur a materia putrescene quae coctionem et expulsionem desiderat; tales vero solum febres sint: ex eodem manifestum evadit, crises solum in febribus, et quidem acutis potius quam diuturnis accidere (2). Rite hinc si χρὶσεος paece-

(1) 2. aph. 19.

(2) Caput IX. de variis mutat. T. 2.

praecedentia phaenomena perpendantur, eadem nisi morbi incrementum, aut nova accessio essent habenda ex quo morbus aut in sanitatem aut in mortem abit. Criseos autem effectus semper erat materiei morbosae evacuatio, qua corpus se diversa ratione liberari autumabatur e. g. sudore, diarrhoea, urinis, sputis, haemorrhagiis, abscessubus etc. Lysis vero, utpote *crisis insensibilis* habebatur, absque nempe evacuatione et metastasi, siquidem paulatim materies morbifica occulte disperderetur. Hinc, tres criseos species dari, fluit. 1. *χατ' ἐκρισιν*, seu per *excretionem*. 2. *χατ' αποστασιν*, seu *μετάστασιν*, seu *ἀπόσκεμμα*, idest per *translationem materiae*; 3. *insensibilem*. Crises postea diducuntur in *bonas* et *malas*; sicuti ac in *perfectas*, *imperfectas*, *fidas*, *infidas*, *tutas*, *periculosas*. *Bonae* quae ad salutem aegri tendunt; *malae* quae ad mortem. *Perfecta* porro illa est, quae aegrum perfecte et integre a morbo liberat, nihilque materiae morbificae relinquit. *Imperfecta* illa quae aliquid materiei relinquit. *Fida firma ac secura* alia appellatur, quae morbum ita tollit, ut nullus recidivae metus sit. *Infida* seu *incerta* quae morbum quidem tollit, sed ita ut recidiva metuenda sit. *Tuta* porro *crisis* nominatur, quae sine periculosis accidit symptomatibus. *Periculosa*, quae periculosa conjuncta habet symptomata. Quaedam etiam crisis est cum signis bonis et *ευσημος* dicitur quae praecedentibus diebus sui habet indicia, *ασημος* quae sine signis atque insperato quasi ingruit. Hoc de crisi, nunc de diebus criticis.

Etsi, veteres scripserint, judicia seu χρισεις morborumque solutiones omnibus diebus accidere, tamen peculiaribus quibusdam et determinatis diebus naturam frequentiores, et meliores crises instituere, censebant. Qui dies ob id critici dicuntur. Sed non tantum generis unius dantur dies critici. Nonnulli enim *critici* simpliciter noncupabantur in quibus crises et meliores et frequentiores fiunt, qui omnes septenario circuitu definiuntur, et sunt septimus, decimus quartus, vigesimus, vigesimus septimus, trigesimus quartus, quadragesimus; sed septimus semper omnes alios praecellit, et solemnis est. Galenus adjunxit ac nonum diem. Secundum autem dierum criticorum genus sunt *contemplabiles*, *indices*, *internuncii*, *θεωρητοι*, ac *επιδηλοι*, quod in hisce criseos futurae in septima die signa eluceant, si nempe excrementa fuerint cocta, et hi dies sunt *semi-septimi* i. e. dies inter septimum et tertium; reliqui dies inter *indices* et vere *criticos*, dicuntur *intercalares* vel etiam *provocatorii*; quippe autumabatur, naturam ad excernendum eosdem prorritare; et ejusmodi essent in prima septimana tertius et quintus; reliqui vacantur *vacui*, quia nec decernunt nec indicant, nec provocant. Galenus porro sextum diem infidum et suspectum pronunciat, et hunc *tyranno*, septimum vero regi assimilat, quoniam ille levat, hic semper discrimen affert, et cum difficillimis symptomatibus et imperfecte et sinistre judicat (1). Hac doctrina Hippocratica et Galenica non caruit etiam

(1) Lib. 1. de diebus decret.

in ipsa antiquitate medicis, qui eam in dubium vocarunt. Primus ex veteribus fuit Asclepiades, qui, teste Caelio Aureliano, statuit, non esse in passionibus statos dies quos *crismos* appellant, etenim non certo aut legitimo tempore aegritudines solvi. Huic auctori assentitur quoque Celsus (1), qui disserte scribit: « est de diebus dubitatio quoniam antiqui potissimum impares sequebantur, eosque tamquam, dum de aegris judicaretur χρισιμȣς nominabant. Id Asclepiades ut vanum repudiavit, neque in ullo die, quia par imparve esset, vel majus vel minus periculum esse dixit; interdum enim pejores dies pares sunt. Nonnunquam etiam in ipso morbo dierum ratio mutatur, fiuntque graviores, qui remissiores esse consueverunt, verum in his quidem antiquos tunc celebres admodum Pythagorici numeri fefellerunt; dum hic quicumque medicus non numerare dies debeat, sed ipsas accessiones intueri. « Imposterum venit Helmontius et crises sedulo perstrinxit. Langius ipsas negavit et ipsas expectare, damnosam esse medendi methodum declarat. Ita et Faber, et Comes de Flisco. Sunt praeterea alii, qui quidem existentiam ac usum dierum criticorum in dubium vocant; observationem tamen hanc in Graecia saltem, non vero in septentrionalibus regionibus locum invenire, existimant. Quibus accedunt Hallerus, Wedel, Baglivius. Boerhaavius crises et dies criticos non negavit sed eorum doctrina admodum adstrinxit: « In morbis acutis, qui in humoribus

(1) Lib. 3. c. IV.

que devastis abscessubus, bubonibus pestilentialibus, et gangraenae cutaneae concederet? Nonne plane incongruum in quibusdam morbis duntaxat crises dari? Crises porro materiem morbificam expellendam supponunt; hinc ex hypotetica essentia originem hauriunt, et sicuti nec in febribus nec in inflammationibus, praecipuis morbis crisibus resanandis materiei morbificae praesentia comprobata est, hinc nec crises quoque utpote expurgationes contingere queunt. Inde rationi consonum forsan est, in morborum curatione expurgationes istas expectare, ut natura sua sponte morbum sanet, dum interea, morbus aegrum necare potest? Medici magisterium est forsan oscitanter morari, et vitalitatis motus tantum intueri, aut opportuniora in morbum insumere auxilia? Ex altera autem parte tanta auctorum criseos criticorumque dierum respectu opinionum discrepantia, quae experientia itidem fulcitur, abunde non declarat eosdem sat incertos, et irregulares, esse? Denique quis nobis praestabit, evacuationes alvinas, haemorrhagias, efflorescentias an potius sanationis effectus, quam vires morbos resanantes esse? Et reapse de imminutione phlogoseos secretiones et excretiones rursum adparitae non testantur? Alias autem antagonismi vitalis caussa phlogosis, quae in nova parte incenditur, non imminuit jam vigentem? Hinc ex omnibus dictis sponte fluit, dari reapse in morbis perturbationes inopinatas, quas sequuntur alicujus humoris evacuatio, aut metastasis, aut nova passio phlogistica speciatim, quae autem juxta locum, conditiones, et pe-

culiares circumstantias in quibus occurrunt vel levamen inducunt, vel morbum praegravant, sed nil certi de earum apparitione extari. Immo ipsae notae a criseos propugnatoribus utpote naturae motus criticos praenunciantes, nonnisi novam morbi accessionem indicarent; hinc hocce in sensu et casu crisis novus esset morbus qui alio adjungitur. Sic dictae crises igitur revera non sunt nisi aut hyperdiacrises secretoriae, quae vel a phlogoseos imminutione, vel ab aliqua alia caussa irritativa interna aut externa eveniunt, aut verae phlogoses consensus irradiationisque gratia incensae, quaeque juxta peculiares circumstantias morbum lenire aut exasperare queunt; vel utpote optima revellentia juvant, vel ceu nova alteratio, aut aberratio quae jam extantem recrudescit, et magis conflictat organismum peragunt; quae autem omnia semper irregulariter, et nulla servata ratione nec tempore incidunt.

FINIS.

THESES DEFENDENDAE.

I.

„ Quemadmodum terra arboribus, ita animalibus ventriculus „ dicit medicinae Parens Hippocrates, et quotidie experientia confirmatur.

II.

Phlogoseos metastasi, uti pleraeque scholae arbitrantur, reapse minime contingit.

III.

Originis idea et sedis morborum semper localis Broussaisii propria non est.

IV.

Homo super caetera animantia primum obtinet locum.

V.

Columbiae detectio omnibus scientiis naturalibus maximum attulit incrementum.

VI.

Conditio pathologica primitiva cholerae-morbi est systematis nerveo-splanchnici irritatio.